

5

LIBRI PRIMI ARGUMENTUM.

HEISTORIA. Deus Adamum & Evam, humani generis parentes condidit, atque in Paradiso voluptatis collocavit, quorum felicitati Cacodæmon invidens molitur suis illam infidiis subvertere.

POESIS ac FICTIO. Cum in heroico carmine, tanquam in tragœdia, conveniat, ut sit aliquis totius operis princeps, Adamum & Evam uno Sarcothæ, id est, naturæ humanæ (quam Deam carnis appellamus) nomine poëta complectitur. Cujus antagonista est draco infernalis Lucifer, Antitheus, id est Dei adversarius. Sarcothæ sociæ faatricesque personæ per prosopopeiam junguntur: Arete (usitato græcis vocabulo) Virtus; Agape seu Charitas; Themis sive Justitia; Elpis sive Spes; Diancea sive Ratio ac Mens; Metanæa sive Dolor ac Pœnitentia. Contra Antitheo sociantur: Furia, Dolus, Mors, Morbi, Senectus, Labor, Paupertas, Fames, &c. quorum interventu totius rei expeditio & eventus implicatur & suspenditur. Primum itaque raptum seu mentis excessum vates fingit, quo ex sublimi totius orbis inconstantem imaginem contemplatus sit, ut scilicet occasionem habeat de causa mali inquirendi, quæ ex naturæ humanæ lapsu, dæmonisque vi ac fraude accipi-